

Toletus, nec non coeui nostri Sanseverino, Liberatore, Kleutgen, Zigliara, Pesch, Stöckl adjiciantur, utilissima certe atque uberrima lectio simul et plurimorum aliorum apud eos cognitio invenietur. Nos interim in scholaribus praelectionibus non tam exponere curamus *quis et quomodo dixerit*, quam potius *quid et cur verum sit*. Qua re fit ut, si cui accedat nostra doctrina, hoc non ita sit quia is vel iste dixit, sed quia rationabilius dixit. Quam nostram opinandi libertatem non alius nos docuit quam ipse quem plerumque sequimur Doctorem, quem nonnisi raro et gravate relinquimus, Angelicum scilicet Aquinatem. Is enim non minore fidelitate simul ac libertate suos etiam doctores et magistros sequens dijudicabat.

Ultimum notare juvat, scientiarum naturalium physicarum in philosophia non quidem tractationes ex professo venire, earum tamen notitiam ita esse necessario connexam et suppositam, ut vix, ac ne vix quidem, philosopho illam negligere liceat, quum istae scientiae ipsius philosophiae subsidiariae ac quasi integrantes partes videantur esse dicendae.

LIBER PRIMUS.

LOGICA.

PROOEMIUM.

Ex praecedente divisione philosophiae sequitur DEFINITIO LOGICAE : *institutio rationis humanae ad recte judicandum*. De logica generatim pauca haec notentur :

1° *Finis logices* est mentem ita instruere ut facilius, promptius, securius in omnibus recte et cum certitudine judicet.

2° *Objectum logices* sunt variae rationis operationes ita considerandae ut certis regulis ad finem logices, ad certitudinem nempe dirigantur.

3° *Medium logices* est distincta et completa notio regularum quas ratio ad recte cogitandum et judicandum sequi debet.

4° *Divisio logices* repetitur ex objecto ejus; est autem alia *logica subjectiva* (seu formalis, dialectica, minor), traditque normas rationis necessarias ut operationes rectae sint in seipsis; — alia est *logica objectiva* (seu materialis, critica, major), traditque normas ut rationis cognitiones sint verae.

5° *Natura logices* sub duplici respectu describi potest; est enim logica *ars*, quatenus tradit regulas et praecepta ad recte judicandum, ac proinde cognitio practica est; — *scientia* autem dicitur quatenus multa per demonstrationem cognoscens, et sub principiis redigens cognitio theoretica est.

6° *Auctor logices* alius ac primus quidem est ipse Auctor naturae, seu Creator D. O. M. qui inditam nostrae menti naturalem rectitudinem communicavit, quae et *logica naturalis* vocatur. Alius tamen assignatur *logicae artificialis* auctor, qui nimirum scientificam logicae scientiae expositionem primus, eamque mirae sagacitatis plenam conscripsit : *Aristoteles* Stagirita, in libris quorum collectioni nomen alii postea dederunt *ὄργανον*, organum, quos inter de logica subjectiva agunt : *analytica priora, categoriae, de interpretatione, de sophisticis elenchis, topica*; de logica objectiva agunt *analytica posteriora*.